



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. III. Etiam pestem ob peccata parentum in filios, & ob superiorum in subditos diuinitus immitti, ex sacris litteris demonstratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Greg. I. 8.
epist. 41.

catis enim nata ei erat hæc ægritudo. Quin & illud in-
super hic discimus, quod licet grauem pro primis pecca-
tis luamus pœnam, si deinde iterum in eadem incida-
mus, iterum nobis grauiora patienda esse. idque meritò:
nam qui priori supplicio non est emendatus, ad maiora
tormenta ducetur tamquam insensatus & contemptor.
quippe primum genus dementiæ est nolle quempiam à
malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè à sua vltione
velle cessare. Certum igitur & indubitatum ob peccata
nostra in eorum vltionem à Deo nobis morbos & nomi-
natim pestem inmitti. quod & ipse Poëta gentilis Oui-
dius non ignorauit, dum Augustum Cæsarem sibi infen-
sum, & à quo in Poloniam, (vbi etiamnum hodie locus
exilij eius ostenditur) fuerat relegatus non aliã de causã
quã quod *Augustum nata viderat in gremio*, exemplo su-
premi Imperatoris Dei peccata hominum sæpiùs miseri-
corditer dissimulantis & peccantibus parcentis, ita pla-
care conatur:

*Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.*

C A P. III.

*Etiam pestem ob peccata parentum, in filios, & ob supe-
riorum in subditos diuinitus inmitti, ex sacris litteris de-
monstratum.*

NEque tantùm ob peccata nostra propria hæ pu-
nitiones obueniunt, sed & frequenter ob paren-
tum nostrorum & superiorum qui pro talibus à
Deo subditis dati sunt. Mofi siquidem in nomine om-
nium

nium superiorum dixit Deus : *Porta eos* (filios scilicet If- 4. Reg. 5.
raël) *in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantem suum.* ideo-
que serui Naäman dominum suum vocant patrem. verus enim Princeps suorum est pater. Verissimum quidem
est & à primâ veritate quæ mentiri non potest, verè pro-
nuntiatum : *Filius non portabit iniquitatem patris* : neque vl- Ezech. 20.
tra nobis in prouerbum est parabola ista Iudæorum : *Pa-
tres comederunt uuam acerbam, id est, peccauerunt, (nam vt
pulchrè Gregor. Quid uua acerbam, nisi peccatum est? v-
ua quippe acerbam est fructus ante tempus : & quicumque I. 22. mo-
ral.
præsenti vitæ dæctationibus satiari desiderat, quasi fru-
ctus ante tempus comedere festinat) & dentes filiorum ob-
stupescunt, id est, Patres peccauerunt (actualiter scilicet ;
nam de originali, hætenus est & semper deinceps verum
erit, Pater-noster Adam comedit pomum acerbam &
dentes omnium filiorum obstupescunt) & filii vapulant.
Sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Nihilominus & il-
lud ab eadem primâ veritate est : *Ego Deus zelotes visitans Exod. 20.
peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem, id
est, in multas siue in mille generationes, quæ apud He-
bræos per tria & septem designantur.**

Quæ ne inuicem compugnare dicantur, dico Eze-
chiëlem loqui de adultis filijs pijs (nam de paruulis alia
ratio est) qui impiorum parentum peccata detestantur.
Mosen verò de impiorum patrum impijs filijs qui peccata
parentum patriffando imitantur, veluti ex ouis aspidum
filij reguli, in quibus parentum peccata punit Deus se-
cundùm illud Euangelicum ; *Et vos implete mensuram pa- Matth. 23.
trum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effu-
sus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem
Zacharia filij Barachie quem occidistis inter templum & altare.*
Sicque parens & in se punitur & in filio; nam ciuili æsti-
matione patres cum filiis vnum quid censentur ; ac filius

punitur ob peccatum patris non quatenus patris est, sed quatenus illud imitando sibi proprium quodammodo fecit. Verum nihilominus est quod filius non ita citò puniretur neque adedè grauius nisi peccata patris præcessissent, quia grauius peccat eo quod maiorum scelera imitando ea approbet, in ijs complacet & nouo cumulo auget. ita fere Pater Cornel. à Lapide doctissimè & solidissimè in commentarijs locorum allegatorum. Nunc verò vt hæc ita sese habere ostendamus, audi si lubet quàm atrociter Deus ad horripilationem vsque Iudæis pestilentiam ob peccata patrum suorum quæ & ipsi imitabantur, per Prophetam Ieremiam comminetur: *Hæc dicit Dominus super filios & super filias qui generantur in loco isto, & super matres eorum quæ genuerunt eos, & super patres eorum de quorum stirpe sunt nati in terra hac. Mortibus egrotationum morientur, non plangentur & non sepelientur, in sterquilinum super faciem terræ erunt, & erit cadauer eorum in escam volatilibus cæli & bestijs terræ.* iterumque idem ad auxesim & pathos repetit: *Morientur grandes & parui in terrâ istâ, & non sepelientur neque plangentur,* quia scilicet tanta erit mortalitas vt non sit futurus qui mortuos plangat aut sepeliat, & ex continuis funeribus discent superstites, defunctos non curare, non plangere, vt fieri solet, & hodie videmus, in magna pestilentia, quando homines dedolere, omnemque pestis, mortis, funeris & sepulchri sensum perdere solent. Hinc mortui ob copiosam multitudinem in vijs vicisque quasi in sterquilinijs manebunt insepulti & computrescent. Et quæ causa huius tantæ desolationis qua

Sen. in
Oedip.

*Pars nulla populi immunis exitij stetit,
Sed omnis ætas pariter & sexus ruit
Iuuenesq; senibus iunxit & gnatis patres.*
audi & ipse idem tibi mox respondebit: *Et cum annuntia-*
ueris

ueris populo huic omnia verba hæc & dixerint tibi: Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? & quod peccatum nostrum quod peccauimus Domino Deo nostro? Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, & abierunt post Deos alienos & seruiuerunt eis & adora- uerunt eos, & me dereliquerunt & legem meam non custodierunt. Sed & vos peius operati estis quàm patres vestri. ecce enim ambulat unusquisque post prauitatem cordis sui mali, ut me non au- diat. Ecquid verius & ad propositum nostrum accommo- datius istis? sic sic implete mensuram patrum vestrorum, & venient super vos & apprehendent vos omnia mala ista.

Hinc ille lacryma; totque hinc suspiria cordis:

Hinc tot proueniunt funera, totque neces.

Rectè patrifantes hos filios Scriptura genimina & pro- genies viperarum nominat, quia mensuram paternæ vo- luntatis & prauitatis veluti malorum coruorum oua pes- sima adimplebant.

Anno circiter regni sui, ut arbitror, inquit Augustinus Anno ab orbe com- dito 3016. & 3017. Toruellus, trigesimo septimo, David rex Israël, cum si- ne ullis belli curis iam aliquamdiu, hoc est per annos qua- tuor, iugiter in summa pace regnasset, haberetque sub se vniuersum Israëliticum populum & alios quos subege- rat sibi in omnibus obsequentissimos, & insuper aduer- teret quòd finitimæ nationes de sua potentia iam satis e- doctæ non solum sibi bellum inferre non auderent, sed potius obsequia præstare, atque ipsis beneuolum conser- uare satagerent, in superbiam elatus est quemadmodum in maxima præsertim rerum temporalium affluentia, tranquillitate, otioque euenire solet sæpius iuxta illud e- iusdem: Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non fla- gellabuntur, ideo tenuit eos superbia. & post pauca: Prodyt quasi ex adipe iniquitas eorum.* itaque mense eiusdem anni

quarto, cum quadam die insidiis satanae vehementer tentatus tumore quodam intimae elationis admodum inflatus esset ut certior fieret de maxima quae praedicabatur regni sui potentia, possetque aliquando data occasione ad ostentationem & inanem gloriam proferre numerum paene immensum militiae suae, mandauit loabo principi totius exercitus sui, ut exiens recenseret vniuersos ad pugnam aptos in cunctis tribubus Israel; qui licet inuitus, posteaquam vidit non posse regem de hac sententia dimoueri, lustrauit totum Israel: & post nouem menses ac viginti dies ex quo exierat, reuersus in Ierusalem consignauit regi numerum populi quem descriperat, & inuenta sunt mille millia & centum millia virorum educentium gladium, praeter illos qui erant in tribubus Benjamin & Leui quas loab adhuc dinumerare non curauerat eo quod non libenter talem regis iussionem exequeretur, veritus, quod & postea accidit, ne in perniciem regis & vniuersi Israelis id ipsum cederet, ideoque respondit:

1. Paral.
26.

Quare hoc querit Dominus meus quod in peccatum reputetur Israeli? sed sermo regis inquit Scriptura, magis praeualuit.

2. Reg.
c. vii.

verumtamen non sine graui poena & poenitentia peccatum hoc expiare valuit. Displicuit enim sermo hic Domino, iratusque ob peccatum arrogantiae & elationis illius, misit Gad prophetam regi optionem daturum, ut quod mallet ex tribus propositis flagellis deligeret, aut famem septem triumve saltem annorum, aut ineuitabilem hostium persecutionem tribus mensibus duraturam, aut trium dierum pestilentiam. qui cum vndique coangustatum se cerneret, elegit trium dierum pestilentiam; non quod tres dies, septem tribusve saltem annis aut tribus mensibus praeferreret, sed quod, ut bene inquit Ambrosius. Domini se mallet quam hominum committere peccati. diuina siquidem fretus misericordia, sperabat a Do-

in Apol.
David c. 7

mine

mino celerem indulgentiam. ac magis hoc postremum flagellum elegit ne sibi obijceretur vulgatum istud:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Et ut alius: *Canis peccatum sus dependet.* id est, Ecce rex peccat & populus illo immune punitur. pestis enim tam ipsi quàm reliquis futura erat communis, cùm famem & bellum faciliùs declinare personaliter potuisset: immisit ergo Dominus pestilentiam in Israël de mane vsq; ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee (spatio sex horarum, vt vult Theodoretus, refragante tamen Abulensi) septuaginta millia virorum. Horrendum profectò & pænè incredibile, si secundùm hominem loquamur.

An ergo hi omnes innocenter & sine propria culpa ob peccatum solius regis tam atrociter absorpti sunt? Negat Abulensis, & rationem adfert, quia semisciclus (pretium erat decem assium nostrorum Brabanticorum; siclus enim florenus erat siue Rhenensis noster) non soluerant, soluendus aliàs per singula capita in simili censu, & in vsus tabernaculi secundùm præceptum Mosis expendendus. Verùm populum hac in re non peccasse, inde constat, quòd semisciclus à Dauide non fuerit exactus, in qua obliuione aut negligentia Iosephus peccatum regis ponit, licet primaria fuerit eius superba arrogantia. Alij respondent, populum non ob regis peccatum sed ob propria antè commissa, hac occasione fuisse punitum. Pererius qui in Exodo (& cum prioribus pænè coincidit) dicit immunes fuisse à decem plagis Ægypti omnes qui in Hebræos nihil peccauerant, consequenter hic diceret non nisi reos & alijs peccatis obnoxios hac pestilentia fuisse interemptos; quod valde incertum est. vnde fortassis meliùs alijs existimant multos innocentes hac pestifera clade interfectos fuisse. nec inusitato Dei

Exod. 307

more. solet enim ille ob publica regni & regum peccata omnes promiscuè punire ac cōmuni clade innoxios cum noxijs inuoluere, quod vel in paruulis clarissimum est, quibus hoc modo optimè it consultum, quia si peccato originali expiati sunt saluantur & periculis damnationis eripiuntur: si verò in eo adhuc reperiantur vt fuerint paruuli Sodomitarum, præstat cum eo solo mori quàm cum multis nefandis actualibus, in quæ certò incidissent si superuixissent. Cur autem adultis idem sæpè contingat, occultas quidem, at semper iustas causas Deus habet. Tres assignat S. Augustinus verbis vt solet pulcherrimis, quorum summa est, vel quia in docendis, monendis & corrigendis peccatoribus malè dissimulant, partim propter laborem cui parcunt, partim propter uerecundiam quam timent, partim etiam propter cupiditatem, dum uidelicet inimicitias deuitant eorum qui ijs in temporalibus possent nocere. Iure itaque istam vitam quando diuinitus affliguntur cum ijs (boni cum malis) amaram sentiunt, cuius amando dulcedinem, peccantibus ijs, amari esse noluerunt.

Potissimùm tamen similes plagas solet Deus populo immittere qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, ob regum aliorumque superiorum enormia crimina. vt enim sæpè accidit iram Dei mitigari sustinerique vltices ipsius manus, regis summi que præfæcti meritis ac virtute: sic vbi nulla sunt eorum beneficia, at potiùs multa eorum maleficia, protinus quasi occasione à delictis principum sumpta, existit vltio cælestis, & in omnes partes tela intendit. perinde ac si quis capiti graue vulnus infligat; nam tunc egritudo protinus alia membra inuadit. idemque contingit si caput grauem aliquem morbum contrahat; defluit namque ille in alias corporis partes. sic quoties Imperatores qui primas
partes

partes in profanorum gubernatione tenent graue aliquod in Ecclesiam eiusque supremum in terris principem bellum mouere cœperunt, neque vexandi finem imposuerunt, subduxit se Deus quodammodo ex orbe terrarum, & quæ bona per Ecclesiam eiusq; Præsules ad nos solebat dimittere, ea ad se reuocat vel suis tantummodo largitur: hostibus verò non nisi plagas intendit, inter quas ordinariè & pestis. quod sequenti capite plenius & planius edocebo.

CAP. IV.

Persecutores Ecclesie & sanctorum, peste diuinitus sæpè sunt puniti.

INter reliquas dignoscendæ veræ Ecclesiæ notas vna solet numerari, infelix exitus seu finis eorum qui Ecclesiam oppugnant. etsi enim Deus suos puniat & flagellet, tamen proiicit tandem virgam in ignem, neque vsque ad internecionem defæuit eius gladius. Testatur id diuersis in locis S. Scriptura ac nominatim Deuteronom. 32. *Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum,* excubat enim in eos iusta Dei vindicta, vt meritò sibi illud Ægyptiorum Hebræos insequentium vsurpare possint: *Fugiamus Israël, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Varijs quidem flagellis varios Deus puniuit, sed plurimos sæpè pestilentia & vorace contagione De Pharaone primo persecutore Ecclesiæ deque populo Ægyptio Hebræos in latere & luto opprimente præter alias plagas peste punito, iam suprâ abundè diximus. Ad Ecclesiam Noui Testamenti eiusq; tempora gradum sterno,
de